מאלהים:

DISPUTATIO PNEUMATICO-PHILOLOGICA,

De

ANGELIS IMPERIORUM,

Ex Dan. X. 13, 20.

Quam

Approbante Amplifs. Facult. Philofophicâ Reg. Acad. Aboënf.

Sub

Moderamine

VIRI

Admod. Reverendi atque Præclariff.

Mag. ISAACI PYTHEMAN

L. L. Orient. Profeff. Ordin.

Pro

Gradu Magifterii

Exhibet

ZACHARIAS LITHOVIUS

Uhloa. Oftrobothn.

In Audit. Max. d. 7. Decemb. Anni 1700.

S.^e R.^e M.^tis

SUMME FIDO VIRO,

AULÆ REGIÆ CANCELLARI

Et non ita pridem,

Inter MAGNOS,

Ad

CZAREM MUSCOVITICU

LEGATOS,

PRIMARIO;

ILLUSTRISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

DOMINO atque LIB. BARONI,

D^n. JOHANN BERGENHIELM,

DOMINO & PATRONO SU

GRATIOSISSIMO

PACEM, SALUTEM, & GLORIAM PERENNEM!

Illustrissime Domine,

ANxia diu me detinuit dubitatio, an satis ex decoro foret, ILLUSTRISSIMO TUO NOMINI obscurum hocce & oppidò leve exercitium Academicum inscribere; sed fluctuantem erexit animum, bonamq; fecit spem favor iste, quo Ingenuos quosq; artium liberalium cultores, planè singulari excipere atq; prosequi soles, qui, quantò altiori in pectore residet, tantò generosius ducit, humilimo cuiq; sui auram adspirasse. Est namq; ratio perpetuæ famæ, quod & Literarum, quæ Te ad tantum evexerant fastigium, & Literatorum, quos inter Illustres, ipse Illustre fulges Sidus, Optimus & perspicacissimus æstimator & Patronus insigni Tuo merito saluteris. Ignosce proinde ILLUSTRISSIME DOMINE, hujus rei conscientiâ,

Splen-

Splendiſſimi Tui Nominis fulgore, has lev
pagellas Illuſtrare auſo. Exponunt illæ, ſ
ſimpliciter, ex unâ parte experimenta cu
atq; tutelæ, quam pro Imperiis atque Regn
Sanctiſſimi DEI Angeli gerunt; ex alterâ r
biem, quâ deſertores illi Indigetes in eade
graſſantur, paucis depingunt. Egiſti nup
EXCELLENTISSIME DOMINE, ineunte h
Anno ſæculari, ANGELUM, dum Caput Leg
tionis ad Muſcoviam, pacis confirmandæ gr
tiâ exiſteres, cujus etiam certiſſimam ſpe
redux, exultanti tunc Patriæ attuliſti: Sed p
cis turbator Diabolus, tantas interim mov
turbas, ut in apertum jam proruperint be
lum. Quod ut felix claudat exitus, DEus ſ
riò invocandus eſt. Admitte idcirco huj
ſaltem rei intuitu TUO NOMINE haud ind
gnum hocce de Angelis argumentum, i
Tuum conſpectum, auctoremque illius Tu
reſpice gratiâ, qui pro Tuâ, Tuorumque pe
petuâ Incolumitate, vota ad DEUM funde
re non intermittet

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

Humilimus Servus

ZACH. LITHOVIUS.

S.æ R.æ M.tis

FIDO VIRO,

REVERENDISSIMO IN CHRISTO

PATRI ac DOMINO,

Dn. JOHANNI GEZELIO,

S. S. Theol. DOCTORI

Conſummatiſſimo,

Diœceſios Aboënſis EPISCOPO

longe digniſſimo,

Et Regiæ ibidem Academiæ

PRO-CANCELLARIO

eminentiſſimo,

Ut & Conſiſt. Eccleſiaſtici PRÆSIDI

Graviſſimo,

Patrono & Promotori ſuo

benigniſſimo,

FELICITATEM & ANNOS!

Reverendiſſime Domine EPISCOPE,

EX eo tempore, quo mihi benignitatis Tuæ radiis circumfuſo, Reverendiſſimum Tuum vultum primum liberius venerari licuit, certò id animo perſvaſi, tum demum divino favore ſummum mihi contigiſſe ſtudiorum Patronum, quod etjam non dubiis argumentis nunc exploratum habeo. Seſqviennium eſt, REVERENDISSIME PATER, ex quo Filii Tui cariſſimi atque optimi, ad paterna, hoc eſt, magna nati, ſum à ſtudiis, tot interim mactatus beneficiis, ut iis prædicandis, non dicam remunerandis, nullus ſufficiam. Documenta illa Paternæ Tuæ benevolentiæ, quæ in immerentem declaraſti, venerabundo potius recondo pectori, quàm hic frigidè commemorabo. Illud nunc humilimâ venio rogatum prece, ut ſpecimen, quod mos Academicus extorſit, rude quidem, & ob nimiam feſtinationem immaturum, Tui tamen favoris aurâ maturatum, ut gratiſſimi animi indicem eâ accipias fronte, quam a naturâ habes faventiſſimam, hoc eſt, ſerenâ atque hilari: non equidem

nidem à me oblatum animo, quasi beneficiis
icem rependisse temerè præsumserit, sed ut
vo vicissim beneficio mihi aucto, satis autea
stricto, obstrictiori liceat esse. Utinam verò be-
gniora fata & melior ratio amicâ conspiratione
rmitterent, ut dubia fieret palma pulcerri-
æ contentionis, an Tu impensiori favore me
ter Clientes Tuos foveas, vel Te majori Pie-
te & submissione ego Patronum intimis ani-
i suspiriis salvum atq; incolumem exoptem,
uanquam illud quidem votum verecundius
nuncio. Hoc tamen ad DEUM ardentissi-
m semper erit, ut Te Ecclesiæ suæ Columen,
non minus publicæ quam Literariæ gran-
decus, familiæ Nobilissimæ sulerum præci-
m, Ingenuorum Clientum Patronum in-
parabilem, non nisi post longos feliciter
ctos annorum decursus, ætate, meritis, glo-
saturum, Cœlo inferat, ceu vovet

Reverendissimæ Tuæ Paternitatis

Cliens devotissimus

ZACH. LITHOVIUS.

VIRIS

Admodum Reverendis, Amplissimis, Plur. Reverendis, Clarissimis, Spectatissimis, Venerabilibus atque Doctissimis, De Ecclesiâ DEI & Republicâ optimè egregieque merentibus.

Dn. JOHANNI CAJANO, Ministerii S. in Bothnia Orient. per plures jam annos Seniori, Pastori in Paldamo emerito, Præpositoq; Districtus Cajanaburgensis longè dignissimo, Literatorum Promotori incomparabili, *Patrono* meo *magno*, submisso animi cultu æternum devenerando.

Dn. JACOBO FROSTERO, Pastori in Uhlo dexterrimo, nec non Præposito adjacentis Districtus gravissimo, Mæcenati devotâ animi veneratione ætatem suspiciendo.

Mag. JOHANNI GEZELIO, Præposito & Pastori in Pedersöhre & Jacobsstad laudatissimo, Promotori atque Fautori omni observantiâ submissè venerando.

Mag. LAURENTIO LITHOVIO, Pastori in Limingo longè meritissimo, ut cognationis quodam vinculo mihi adnexo, ita singulari veneratione perpetim colendo.

Mag. PETRO PORTINO, Pastori in Vyhäjoki vigilantissimo, quemadmodum pridem Præceptori laudatissimo; ita jam Promotori devoto animi cultu & quibusvis obseqviis reverenter observando.

Dn. ABRAHAMO FALANDRO, Pastori in Calajoti laudatissimo, Fautori plurimum honorando.

Dn. BARTHOLDO VAEHL, Pastori in Ilmola adcuratissimo, Fautori jugi obsequio & omni officiorum genere prosequendo.

Dn. ZACHARIÆ MATTHIÆ, Commissario Capitationis in Bothnia Orient. spectatissimo, & Senatus Uhloënsis Seniori gravissimo, Avunculo multis nominibus mihi honorando.

Dn. CLAUDIO JENDERJAN/ Senatori & Civi Uhloënsi Primario, ut agnationis Jure mihi adstricto, ita ob beneficiorum acceptorũ cumulum quovis honore mactando.

Dn. GUSTAVO LITHOVIO, Sacellano in Limingo Fidelissimo, ut consangvineo, ita Fautori optimo.

Dn. JOHANNI SALINGIO, Sacellano in Calajoti solertissimo, Fautori honorando.

Dn. GABRIELI LITHOVIO, Sacellano ibidem pervigili, Fratri Carissimo.

HAnc De Angelis Imperiorum *Dissertationem gradualem, etiam in* Ecclesiâ Dei Angelis *legatione ejus cum laude fungentibus, in reverentiæ, quã debeo, & sincerioris amoris tesseram, turbulentis hisce temporibus Angelicæ tutelæ omnibus & singulis intimè commendatis* offert

ZACH. LIRHOVIUS.

זכרה לו אלהי לטובה:

Neh. 13. v. ult.

SECTIO PRIOR,

Per Gradus Entium ordine ad Angelorum Considerationem adscendit, quorum existentiâ probatâ, de Geniis Ethnicorum pauca sistet; atq; sic per certa eorundem officia, ad ea, quæ circa Respublicas præcipuè sunt conspicua, aditum parat.

§. I.

AUgustissimum hocce Mundi theatrum, quantum quantum est, totum est divinæ Majestatis & sapientiæ exemplar evidentissimum; cujus, quot Creaturas, tot argumenta cernere licet luculentissima. Hanc vero tantæ molis & pulcritudinis machinam, quam non ex temerario atomorum concursu conflatam, multo minus ab æterno existentem, sed in & cum temporis initio, nullis tamen fabricandorum operum Instrumentis, nullis vectibus, nullis hypomochliis, quippe quæ nulla tum erant, adhibitis, ex nihilo conditam credimus, non immediatè sine causarum secundarum interventu conservare voluit supremus rerum omnium moderator Deus. Potuisset sanè omnia Visibilia

sibilia & invisibilia, viventia & vitæ expertia, solo voluntatis suæ liberrimæ Imperio producta, vel solo nutu gubernare ac tueri; sed visum est ipsius sapientiæ, jucundo creaturarum ordine constituto, inferiores & ignobiliores, superiorum & præstantiorum regimini subjicere, seu, ut August. loquitur Lib. 3. de Trin. c. 4. *Corpora crassiora & inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine regere*, ut sapientia ejus omnia tam pulcrè disponens à mortalibus agnita, tantò magis celebraretur. Profectò sapientia Creatoris non aliunde clarius, quàm ex ordine, quo omnem creaturarum apparatum distinxit, elucescit. In serie autem illâ, res inanimatæ imum dignitatis gradum sortitæ primò se offerunt; quarum in numero meritò suspicimus amplissimum illud corpus, astrorum receptaculum, Cœlum, quod quantò altius summi Opificis collocatum est jussu, tantò magis animos mortalium in se convertit. Splendidissimum vero illud Cœli jubar Sol, in expanso illius vastissimo lucens, quem non in admirationem sui rapiat? Cæteræ pariter cœli faces, sidera nempe Firmamenti innumerabilia, tam constanti serie & amica harmoniâ, quæ sua obeunt munia, quid nisi divinæ sapientiæ testes sunt clarissimi? Res vitæ expertes proximo gradu excipiunt Corpora, quæ vegetanti prædita facultate, nutriuntur, augentur, sibique gignunt simile, inter quæ vel minima herba præsentem refert Creatorem Deum,

um. His viciſſim ordine ſuccedunt animalia, quibus præter dictas vires, ſenſus inſuper competunt, divinarum laudum præcones paratiſſimi. Nec tamen hic ſubſiſtit ſvaviſſimus ordo naturæ; ſed ad ulterius Univerſi complementum hominem etiam, mundi Epitomen, deſiderat, qui ſolus rationis capax, tot creaturarum ſuæ utilitati ſervientium eſt Dominus, à ſupremo nihilominus Numine, rerum omnium ſatore & conſervatore, regendus. Sed cum Sapientiæ ipſius placuerit, non ἀμέσως ſolum potentiæ ſuæ virtute res creatas ſervare, ſpiritus admirandæ potentiæ, a materiæ tarditate liberos, ad miniſterium tanti laboris adhibere voluit, quibus, ſicut militibus ſummus Imperator in propugnando ordine, quem inter homines ſanxit, utitur. Horum circa conſervationem Univerſi operam, quam navant indefeſſam, novêre omnes, qui in abſtruſioris ſcientiæ receſſus & divinioris ſapientiæ theſauros, non incurioſis introſpexerunt oculis. Hi namque divini throni ſtipatores, puta, qui ſtatione ſibi commiſſa fideliter ſervatâ, in bono confirmati ſunt, functiones a DEO ſibi concreditas ſummâ cum fide obeuntes, mandata ejus promptiſſimè exeqvuntur, ad nutum Imperantis ſemper intenti. Hi ſpirituales cuſtodes pro fidelibus non tantum ſingulis, continuas agunt excubias; ſed etiam ſocietates atque imperia in mundo jugiter conſervando, nunquam defatigantur. Hic Cœleſtis exercitus contra Spiritus

maligni insultus pro ordinibus divinis impigrè sua vibrat robora. Ex adverso autem illi, quos in suum non minus quam mortalium atrox exitium spontanea, sed turpis defectio à summo fastigio dejecit, ad accelerandum humano generi interitum omnes conferunt vires: Id in votis perpetuo habentes, ut immissis seditionum procellis, Respublicas, divinâ gratiâ aliàs florentes, miserè turbatum eant. Hinc Principibus, & qui eorum sunt à secretis, pernicioſa consilia instillare non intermittunt, unde tot perfidæ machinationes, tot convulsiones regnorum, tot regionum vastationes sequuntur, quibus nisi divina benignitas per cœlestes suos nuncios obviam iret, actum esset de societate humanâ. Hâc de re (cum ejus meditationem præsens in mundo rerum tristissima facies mihi suggereret, & aliquid ad mandatum Amplisſ. Sen. Acad. luci publicæ dandum erat) rebar, nec mihi inutile, nec præsenti rerum statui inconveniens, nec aliis ingratum fore, si paucis disquirerem. Sed quod fatendum, hanc tam nobilem materiam, cum ob temporis angustiam, quâ nimis coarctabar, tum ob commodi temporis defectum, de quo mecum conqueruntur, quotquot aliorum studiis invigilantes, sua coguntur posthabere, ut oportuit, limatius & plenius elaborare non licuit. Quonomine etiam Ben. Lect. candorem & facilem censuram, parem ſibi viciſſim in ſuis conatibus ab aliis expectaturi, mihi polliceor.

§. II. Non

§. II.

Non vero hic in limine morabitur nos Inſcriptionis conſideratio onomatologica, cum vocabulis conſtet notis paſſimque obviis. Sufficiat hoc dixiſſe, nos hic acturos de ſpiritibus finitis completis, quatenus ad conſervationem atque enervationem Rerumpublicarum ex directione atque permiſſu divino concurrunt. Sed cum omnis noſtra opera, non prius demonſtratâ Angelorum exiſtentiâ, fruſta futura ſit, primam curam ei probandæ impendemus. Idque eò magis, quod reperti ſint, qui Angelos eſſe negaverint. Nam præter quosdam Veteres Philoſophos, Saducæi, teſte Lucâ Act. 23: 8. dixerunt, μὴ εἶναι ἀνάςασιν, μηδὲ Ἄγγελον, μήτε πνεῦμα. Batavus quidam Hermannus Riswich circa An. 1502. dicitur etiam negaſſe Angelos, tam bonos quam malos, teſtante Georg. Mejero in Pneumat. part. ſpec. lib. 2. c. 2. Sect. 1. quibus addit Excell. Calovius, Libertinos, Anabaptiſtas & nonnullos in Anglia Quackeros. Sunt tamen, qui dicunt Saducæos non ſimpliciter negaſſe exiſtentiam Angelorum, ſed eſſe eos Spiritus permanentes, utpote qui non minus ac homines, mortales in ortu ac occaſu forent. Ita Kipping. in Antiq. Rom. l. 1. c. 1.

§. III.

Exiſtentiam Angelorum probaturis duplex occurrit principium; Lumen ſc. naturæ atque

revelatum. Hoc argumenta ſuppeditat plus-quam apodictica; ex illo autem ſolidè atq; evidenter probatur, dari ſubſtantias Spirituales completas, a DEO & animâ rationali diſtinctas, non quidem a priori, quoniam ſic probandum eſſet DEUM Angelos *de facto* produxiſſe, cum tamen talis productio, ſeu creatio, à liberrimâ DEI voluntate dependeat, quæ non niſi ſpeciali revelatione nobis innoteſcere poteſt; ſed ſaltem à poſteriori, & quidem apodictice, quatenus ſunt Spiritus à DEO & anima rationali diſtincti, aſt probabiliter tantum, hos Spiritus eſſe Angelos. Accuratiſſ. itaq; Philoſophorum veſtigia legentes, quatuor potiſſimum id evincemus argumentis: [1.) ex effectis, quæ cernere licet in arreptitiis ſeu obſeſſis, hi licet naturâ tardi atque hebetes, ſermones tamen exoticos, quos nunquam antea didicerunt, nec liberati amplius norunt, promptiſſimè proferunt & tanquam ſcientiarum adyta penetraſſent, de iis diſſerunt; ſæpe etiam quæ remotiſſimis locis geſta ſunt, & hinc occulta, patefaciunt. Proinde aſſiſtentes ſibi habebunt naturas eminentiores, a quibus ſuppeditata noverunt. Neq; vero id atræ bili aut concitatis humoribus, ut volunt nonnulli, attribui poteſt, cum *verba & nomina ſint ſignificantia ex inſtituto*, ut ait Ariſt. l. 1. de Interpr. c. 2. Quomodo igitur melancholici humores ea progenerabunt. Excedit ſanè vires naturæ, ut quis, non dico, verbum proferat,

ferat, sed continuo quasi flumine ad quævis non præmeditata aptè respondeat. Quis etiam virtute superiori id fieri neget, cum corporeâ mole graves in altum devecti, sine alarum remigio per aëra feruntur. Præterea incantamenta, blasphemiæ, quas sæpe horrendas evomunt, horum existentiam adstruunt. Quæ & similia plura non possunt esse a Deo, cum is nihil in sui honoris detrimentum agat; nec ab anima obsessorum unitâ, cum, ut dictum est, rudes sint plerumque atq; spissâ laborent ignorant â; nec â separata aliorum, cum illa aliud, præter suum corpus, non appetat, nec in aliud transfundi possit. Proinde relinquitur, â Spiritu aliquo, a Deo & anima humanâ diverso, tales effectus proficisci, qui probabiliter concluditur esse Angelus; dixi probabiliter, quia, observante id acutiss. Theol. Joh. Adamo Osiand. in Coll. Th. p. 1. loc. 4. Thes. 3. Gentilis aliquis non statim concludet ea esse ab Angelo, sed potius, ea procedere a vi quadam superiori. (2.) Præsentiam horum Spirituum arguunt responsa Idolorum, quæ olim vel per simulacra, vel e specu & terrestri cavernâ edebantur, hæc ab hominibus consulta, sæpe futura prædicebant, licet non rarò ambiguè, nec sine consulentium summo detrimento: fiebant in iis multa fraudibus vatum, atq; solertiâ humanâ, sed sæpius diabolicâ, cum sæpe prædixerint ea, ad quæ mentis humanæ acumen nul-

là ratione pertingere potuit. Nec ſine ratione (3.) Spectrorum apparitiones adduntur ad probandam exiſtentiam Angelorum. Illorum plenæ ſunt Hiſtoriæ. Quanquam non diffitendum eſt, melancholicos, furioſos & quorum imaginatio eſt corrupta, ſpectra ſæpe fingere, quod & nimio metu multis contingit. *Bruto & Deoni viſa fuiſſe ſpectra, quæ edebant voces, nunciabant finem vitæ, terroreque eos implebant*, refert Plutarchus in vitis eorum. Sanè Viri hi magni & rectæ mentis compotes erant, attamen usq; adeo ſpectris viſis commoti fuiſſe leguntur, ut amicis ſuis ea, quæ audiverant ac viderant, perculſi indicarent. Notum eſt, quod Tacit. Annal. II. & Plin. 7. Epiſt. ad Suram (quæ inter teſtimonia Curt. Ruf. Hiſtoriæ præfixa comparent) de Spectro Curtii Rufi tradant, *quod ei Adrumeti ſpatianti oblata ſit ſpecies muliebris ultra modum humanum, prænuncia eum Africam obtenturum, ibiq; moriturum, quod etjam contigerit.* Accedit denique (4.) Conſtans Philoſophorum Ethnicorum de Geniis atq; Dæmoniis aſſertio. Primus eorum de natura Dæmonum diſſeruiſſe putatur Hiſiodus, qui *eos immortales, aëra indatos, circa terram juſſu Jovis vagari dixit, facta hominum obſervantes.* Platonis mentem Alcinous Iſag. c. 4. ita exponit, *quod poſt DEum ſupremum, DEos cœleſtium corporum præſides, tum deniq; Dæmonas per mundi Elementa diſtributos, tertio ordine locarit.* Hos

tamen

tamen Dæmones Platonicos, Angelos esse negat Calov. Syst. Th. t. 4. Q. 3. cum hi fingantur ab illis corporei & passionibus obnoxii; Angeli vero, quos Deos vocant, sunt illis Spiritus immortales. Adeò inter se differunt Ethnicæ Theologiæ Mystæ in describendâ naturâ Dæmonum, ut verum sit quod dicat Lud. Viv. in August. l. 9. De civ. Dei. c. 11. *Alia sentit Apulejus, quam Plato, alia Plotinus, quam Apulejus diversa ab his Porphyrius, nec cnm Jamblicho aut quoquam alio iu omnibus convenit Proclo: nimirum Dæmonibus ipsis pro natura sua, varia illis & fallacia dietitantibus.* Dum circa Angelorum existentiam probandam versamur, observamus, non planè inusitatum apud Gentiles, fuisse nomen illud. In versibus a Clemente Alexandrino Strom. 5. citatis, Orpheoq; adscriptis, expressa Angelorum fit mentio:

Σῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρεστᾶσιν πολυμόχθοι
Ἄγγελοι, οἷσι μέμηλε, βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται:

Throno tuo ignito adstant laboriosi

Angeli, quibus curæ est, quemadmodum mortalibus omnia gerantur.

Cyprianus etiam in de Idol. vanit. *Plato*, inquit, *unum DEUM servans, cæteros Angelos vel Dæmonas dicit.* Observationem qnoque meretur Angelorum lapsum Gentilibus non prorsus ignotum fuisse: refert Plutarchus in de Vitand, ære alien. ex Empedocle,

cle, *Dæmones in pontum corruisse & scelerum pœnas dedisse, eosq; Θεηλάτους & οὐρανοπέτεις, a Diis expulsos & cœlo delapsos* appellat. Nec aliud quam defectionem rebellium Angelorum significare videntur Titanum & Gigantum, qui cœlo utrique dicuntur esse prognati, prœlia adversus Jovem, & cœlestis regni affectatio, eorumq; clades & supplicia. Nam detrusos esse in tartara, illieque flammis torqueri, non sine veri significatione, commenti sunt Poëtæ. Quid aliud quam casus Angelorum notatur per *Aten illam, quæ a Jove, quem læserat de cœlo deturbata, addito juramento, nunquam illuc redituram, ut* Homerus l. 19. Iliad. sive naturæ suæ excellentis beneficio, sive, quod conjicere licet, ex Mosis scriptis haustum, prodidit. Fieri enim hic potuit, quemadmodum in aliis Christianæ Religionis Mysteriis, ut Satanas ista e sinu Ecclesiæ suffuraretur, atq; in suam scenam traduceret, suoq; cothurno indueret, interpolata atque miro astu ad falsitatis ingenium conformata.

§. IV.

Ex Lumine naturæ probatam dedimus existentiam Spirituum Completorum. In proferendis ex scripturâ sacrâ argumentis tanto erimus breviores, quantò ea cuique sunt notiora. Probatur vero indubitatò, dari Angelos, (α) ex nominibus eorum passim obviis: (β) officiis: (γ) apparitionibus: (δ) Angelorum bonorum constantiâ

ſtantiâ in veritate; (ε) malorum apoſtaſiâ & ſuppliciis. Mirari proinde ſubit aliquos, quorum etiam nos §. 11. meminimus, repertos fuiſſe, qui ſcripturam admittentes, Angelos nihilominus negarint. Credibile eſt eos, quoniam Moſes nullam horum expreſſam fecit mentionem, eò adductos fuiſſe. Sed nec auri, gemmarumque, vel ullorum mineraliam aut metallorum productionem meminit Moſes; quis tamen inde ea neget creata eſſe? Varias vero adducunt Moſis interpretes hujus ſilentii rationes. *Non nulli* dicunt id factum eſſe ad præcavendam Idolomaniam, ad quam populus Hebræus valde pronus erat. Sed eodem periculo deſcripſiſſet creationem Solis, Lunæ, aſtrorum beſtiarumque, quippe quæ tam Judæis, quam Gentilibus aliis horrendæ Idololatriæ materiam ſuppeditarunt. *Alii* hanc prætendunt cauſam, quod ſi Angelorum in initio facta fuiſſet mentio, Deus operâ eorum mundum creaſſe putaretur. Verum poſito & demonſtrato Angelos eſſe creaturas, ſponte cadit eſſe Creatores. Placet etiam *non paucis*, ruditati Judæorum divinum originum ſcriptorem ſeſe accommodare voluiſſe, ſed cur non animadvertunt, non Judæis tantum, ſed univerſæ Eccleſiæ ſcribenda fuiſſe; ſubtiliora longe myſteria Judæis revelata novimus, cur non & hoc? Longe itaque ſimplicius dicitur non placuiſſe Moſi ἀγγελογραφίαν dare, deſcripti-

ſcriptione Creaturarum viſibilium contento, cum ſcopus ejus eſſet, compendioſè naturæ primordia & mundi natales deſcribere.

§. V.

Demonſtratâ, ut remur, exiſtentiâ atque naturâ Angelorum, inſtituti ratio exigit, ut de Officiis eorum, non omnibus, ſed præcipuè quæ circa univerſi hujus & Rerumpublicarum conſervationem ſunt conſpicua, aliqua adferamus. Fuit illud jam olim in Platonis Schola non obſcurè traditum, illis ſpiritibus adminiſtrari omnia per orbem, quos Deus extra nexum cum materiâ conſtituit. Sic apud Lactantium L. I. c. 4. ait Seneca: *Deus cum prima fundamenta molis pulchermimæ jaceret, fecit ut omnia ſub Ducibus ſuis irent, & quamvis ipſe per totum corpus ſe intenderet, tamen miniſtros Regni ſui Deos genuit.* Triplex Angelorum Officium pro triplici eorum miniſterio, quod ſummo Deo præſtant, ex mente Ethnicorum ſtatuit Voſſ. in Theol. Gent. I. 1. c. 7. *Primum* circa preces Deo offerendas, iisque exaudiris, in bonis hominibus procurandis verſatur. Qva de re egregiè Apulejus lib. de Deo Socratis: *ſunt quædam divinæ mediæ poteſtates, per quas & deſideria noſtra & merita ad Deos commeant Hos græco nomine δαίμονας nuncupant, inter mortales cœlicolasque, vectores hinc precum, inde Donorum. Alterum* poſuere Platonici in man-

mandatis Dei nunciandis, mirabilibus patrandis futurisq; prædicendis. De quibus loc. cit. Apul. hunc in modum: *Per hos eosdem,* (Dæmones) *ut Plato autumat, cuncta denuncianta, & Magorum varia miracula* (mirabilia potius) *omnesq; præsagiorum species reguntur.* Quod de hisce sciscunt Platonici, etiam ex parte convenit doctrinæ Christianæ. Novimus ex Historiâ Evangelicâ Angelos Pastoribus nuncium attulisse de nato Salvatore. Quid mirandum magis, quàm Sadrachum & socios ejus in ardentissimam fornacem conjectos, Angelum Domini sic servasse, ut non modo non læderentur, sed carmine suo Deum celebrarent? Danieli indicatur per Angelum status populi Judaici sub Regibus Persicis atq; Ægyptiis, ut ex Dan. patet. *Tertium* ministerium assignarunt Gentiles eis in tutelâ hominum. Qvâ de re, quoniam maxime ad nostrum propositum facit, pluribus agemus.

§. VI.

Constans est apud veteres Philosophos sententia, adjunctos esse hominibo ad custodiam certos quosdam spiritus, qui Genii sunt dicti; horum alios statuerunt *Universales*, quos putarunt toti nationi præesse, ideoq; *Gentis Genios* nuncuparunt: alios *Particulares*, ex quibus certus cuique homini deputatus sit, hic speciatim dictus est *Genius*, quod generationibus præsit, genitumque inseparabiliter comitetur. Cen-

sorinus

ſorinus Genium deſcribit, *quod ſit Numen, cujus in tutela, ut quisque natus vivit, ſive quod ut generamur, curat; ſive quod nos genitos ſuſcipiat atque tueatur.* Variis vero imaginibus effingebant ſuos Genios Ethnici: Interdum juvenili vel puerili formâ, interdum ſenili, Interdum ſerpentis; quandoque etiam hominis militaris, dextrâ pateram in modum ſacrificantis, ſiniſtrâ cornucopiæ habentis; huic cum res ſacra fiebat mero ac floribus, ſanguine abſtinebatur. Socrat. Euclides apud Cenſorinum c. 3. duplicem cuique homini ab ortu aſſignatum eſſe Genium arbitratur, unum Bonum malum alterum. Ille qualis ab Ethnicis ſit habitus, præter ea quæ jam dicta ſunt, diſcere licet ex Apulejo, qui de Gen. Socr. agens, *Hic* (Genius) inquit, *eſt arbiter individuus, domeſticus ſpeculator, ſingularis Præfectus, inſeparabilis teſtis, malorum improbator, bonorum probator, in rebus incertis proſpectator, dubiis præmonitor, periculoſis vitator, egenis opitulator, qui tibi queat, tum ſomniis, tum ſignis, tum etiam fortaſſe coram, cum uſus poſtulat, mala averruncare, bona proſperare.* Plato eos vocet *Paſtores divinos, & animis hominum adjunctos ſoctos, quibus præſunt, dum corporibus illigati tenentur, poſtquam corporibus ſunt ſoluti deducunt ad inferos.* Nec tantum bonum, ſed etiam malum Genium crediderunt veteres. Hunc, ni fallor, intelligit Davus apud Ter. Phorm. Act. I. ſc. 8.

dum

dum dicit: *Memini relinqui me Deo irato meo.* De malo illo Genio qui Cassio Parmensi sopito obversatus est, vid. Val. Max. l. 1. c. 7. Virgilii illud: *Quisque suos patimur Manes*, utriusque comitatum respicere videtur. Olympiodorus tamen unicum Dæmonem animæ custodem esse statuit; qui pro mutatione animæ subinde mutetur. Vid. Galæus in Jambl. p. 313. Apud Judæos communem fuisse opinionem, singulos homines peculiari alicui Angelo esse commendatos, liquet ex Act 12: 15. ubi cum ancilla Rhode dixisset, se agnoscere vocem Petri præ foribus stantis, hi quibus illud nuciabat, dicunt, *Angelus ejus est.* Hinc etiam nata est quæstio, utrum singulis piis unus, an v. plures sint dati Custodes Angeli? Prius affirmare videntur nonnulli e Patribus Ecclesiæ primitivæ. Ita enim S. Hieron. l. 3. in Matth. c. 18. 10. *Magna est dignitas animarum, ut una quæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui delegatum Angelum.* Verior tamen videtur eorum sententia, qui putant plures Angelos unicuiq; adesse tutelares. Aperte enim dicitur Ps. 91. *Angelis suis mandavit de te. plures* Angeli portant unius Lazari animam in sinum Abrahæ, Luc. 16. plures etiam custodierunt Elisæum 2. Reg. 6: 10. Quin imo, cum plures Angeli mali eidem homini insidientur, plures sine dubio Angeli excubias pro unoquoque fidelium agunt. Quanquam vel unus, si Deo placuerit, uni homini custodiendo sufficere putandus est.

SECTIO

SECTIO POSTERIOR.

Curam Angelorum circa Reſpublicas, etiam Gentilibus in Diis ſuis tutelaribus notam, exponit, ejusq; nonnulla experimenta exhibet; hinc ad conſiderationem Angeli Regni Perſici factâ digreſſione, eum Malum, ſeu Diabolum aulicum eſſe probat; cujus perverſa ſtudia atq; effectus, non in Regno tantum Perſico, ſed & in aliis, ubi breviter detexit, Voto claudet.

§. I.

NEc ſingulorum tantummodo curam gerunt Angeli, ſed etiam ſalus Univerſi Imperii & Reipublicæ totius ab eorum cuſtodiâ dependet. Uti enim non caſu admiranda hæc mundi compages extitit; ita nec, poſtquam homines in Societates coaluere, fatuâ forte immenſum Imperiorum corpus ſtare credendum. Sapientiſſimus Deus, qui primum hocce univerſum per ſpatia diduxit, qui mortalium genus per orbem ſparſit & ad conſenſum perduxit; qui magnis Imperiis divinum ordinem & ſplendorem adjecit, fecitq; ut conſiſterent felicibus ſucceſſibus, ille conſervat eadem & ſeverâ lege tuetur; non tamen id immediatè agit, ſed utitur miniſterio Angelorum; non ſecus ac ſummus Princeps, per Magiſtratus intermedios omnia gubernat. Non quod defatigaretur tantâ mole, ſi ſolus eam rexerit, cum nutu ſuo omnia firmiter & inconcuſſe manere queant; ſed quod ſum-

ſummæ potentiæ abditam vim per ſanctarum Creaturarum, corporeæ molis expertium, adminiculum oſtendere voluit. Quæ horum ſpirituum ſit cura circa regna atq; regiones, non omnino latuit Ethnicos. Crediderunt illi nullum regnum vinci evertique poſſe, niſi intelligentia ipſi præfecta inde amoveretur. Hinc evocatio Geniorum introducta & Romanis uſurpata fuit; qvare nomina Deorum tutelarium ſumma curâ occultabantur, ne poſſent evocari. Modum, quo evocatio illa fiebat, dignum arbitratus ſum, quem ex Macrobii l. 3. ſat. c. 9. deſcriberem: Is vero talis fuiſſe legitur: *Si Deus, ſi Dea es, cui populus civitasque Carthaginenſis eſt in tutelâ, teque maximè ille, qui urbs hujus populique tutelam recepiſti, precor, veneroque, veniamque a vobis peto, ut vos populum, civitatemque Carthaginenſium deſeratis, loca, templa, ſacra urbemque eorum deſeratis, absque his abeatis, eique populo civitatiq; metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis, noſtraque vobis loca, templa, ſacra, urbs acceptior probatiorque ſit, mihi quoque populoque Romano, militibusque meis præpoſiti ſitis, ut ſciamus, intelligamusque ſi ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum.* Huc etiam alludit Virgilius 2 Æneid.

Exceſſêre omnes adytis, arisque relictis
Dii, quibus imperium hoc ſteterat.

Nec malè quadrat huc, qvod narrat Joſeph. de bello Jud. l. 7. c. 12. Cum templi Hieroſolymitani, ingratæque urbis inſtaret excidium, Angelos, procul dubio tutelares, hanc ex adyto ipſo edidiſſe vocem: *migremus hinc.* Qvid de hiſce habeat Hiſtoria Romana, non eſt nobis à re noſtra tantum otii, ut ſingula perſequamur. Illud præterire non poſſumus qvod refert Flor. l. 1. c. 11. In *Conflictu ad Regillum lacum adverſus Latinos fortiter dimicaſſe & nutante victoriâ, pugnam reſtituiſſe, duos in candidis equis, quos Caſtorem & Pollucem eſſe crediderunt, & Romæ ſub veſperam victoriaam nunciaſſe*, de ſimilibus aliis vid. Flor. l. 2. c. 12 Val. Max. l. 1. c. 8. Nos, quibus purior affulſit Lux, certiora Angelicæ cuſtodiæ ex ſacris literis depromemus documenta. Notabilis eſt locus Act. 16: 9. ubi Paulo in viſione apparet vir quidam Macedo, Angelus procul dubio Regionis illius curam gerens ac invitans Apoſtolum ad prædicandum Evangelium in regione illa. Angelicæ potentiæ, in hoſtibus Judæorum poſternendis, ſtupendum occurrit exemplum, cui aliud vix ſimile reperire licet, 2 Reg. 19. 35. Ubi Angelus Ezechiam injuſte preſſum à Tyranno, & regnum ejus, hoſte fugato, ſervat, occiſis in Aſſyriorum caſtris centum & octoginta quinque hominum millibus ſub Sennacherib militantibus. Bellis Machabaïcis miſſos legimus de Cœlo equites magno coruſcantes fulgore, qui

præ-

prœliis intereſſe, piam gentem tutari; hoſtes telis & fulminibus palam inceſſere viſi ſunt. Non pigebit hic narrare, quid à S. Angelorum validâ manu paſſus ſit Heliodorus, Templi impius Vaſtator & theſaurorum prædo. *Ille Seleuci Regis mandatis inſtructus, proditore Simone transfugâ, ſuſq; deq; habitis Oniæ ſummi Pontificis monitis, Templum invadit, omnia tumultu replet, quapropter Hierosolymitani terrore perculſi, auxilium diuinum ſupplices poſcunt, quod præſentiſſimum etiam experiuntur; Nam equus omni ornamentorum genere conſpicuus, cœlo demittitur, ei ſeſſor erat terribilis; quem thorax fulgens texit. Ille concitatiſſimo gradu in Heliodorum ferebatur, ipſumque in terram dedit. Duo Juueues facie formoſâ, Angeli nempe Dei, quod reliquum eſt, exſequuntur, humiq; jacentem & penè exanimem, duriſſimis verberibus dedolant, ut ſuperbiſſimus pridem Dei contemptor, verberabiliſſimus*, ut Plautino utar joco, *ſexcentiplagus factus fuerit.* Plura exempla, quibus publicæ tranquillitatis turbatores S. Angelis pœnas dediſſe leguntur, adducere ſuperſedeo, quoniam ea paſſim in S. literis proſtant. Nec tantum aperto Marte exercitus impiorum delent; verum etiam adverſus inviſibiles potestates, Spiritus malignos, Regnorum atq; omnis divini ordinis hoſtes infenſiſſimos, continua gerunt bella, confuſionem, noxia conſilia, interitum reipublicæ inferrentia,

& quicquid ſcelerum concipi poteſt, quæ in Aulis Regum Principumq; occultis artibus excitant perditiſſimi hi ſpiritus, impediendo, regnorum ſaluti invigilant. Huius rei evidentiſſimum exemplum eſt apud Danielem C. 10. v. 13, 20. Ubi Angelus aperit Danieli quanta vehementia adverſus Principem regni Perſiæ, quem Sp. malignum eſſe in ſeq. probabimus, pugnaverit, adeò quidem ut ex altiori principatu Angelus Michael in ſubſidium fuerit mittendus. Quem locum, quoniam maximam huic noſtro inſtituto fœneraturus eſt lucem, pluribus evolvemus.

§. II.

Sed antequam huic vado nos committimus, cauſam & occaſionem hujus Angelicæ concertationis in anteceſſum adduxiſſe haud inconveniens fuerit. Sciendum itaq; eſt, quod poſtquam e Babylonicâ captivitate Iſraelitas eductos, dulci Patriæ reſtituere decreviſſes DEUS, ut extructâ ædificatâq; cum Templo Hieroſolymâ, cultus DEI nitori priſtino redderetur, atq; ſic Meſſiæ promiſſi adventus expectaretur, Diabolus omni conatu ac molimine, Sanctiſſimo huic DEI inſtituto reſtiterit, partim Regis Perſarum animum à propoſito reſtituendi alienando, partim ea Aulicis conſilia ſuggerendo, quæ populi Iſraelitici reditum in Patriam, ſi non interverterent, ſaltem retardarent. Poſtquam vero per divinam benignitatem Anno primo Cyri, ut

ti, ut videre est 2. Par. 36: 22. Esdr. 1. 1. decretum solutæ captivitatis Babylonicæ, quam tot annis sub Babyloniæ Monarchis sustinuerunt Judæi, promulgatum fuisset Orienti, omnem movit lapidem perditissimus hic Spiritus, ut Templi restaurandi, urbisq; reparandæ successus impediretur. Hinc viginti & unius dierum prœlium contra Diabolum (qui Principis Regni Persarum titulo hic insignitur) Angelo, qui in illustri visione apparuit Danieli, ortum est, quod tam acriter utrinq; commissum legimus, ut Michaele adjutore & Satanæ oppugnatore potentissimo opus fuerit, cujus ope adjutus palmam apud Persicum Monarcham tandem obtinuit. Solet hic multum inter Philologos disceptari, quid per Principem Persiæ, Angeli Antagonistam, hic intelligatur. Tres præcipuè reperire licet sententias. *Prima* est eorum, qui Cyrum, vel filium ejus Cambysem intelligunt; Sic post Judæos Calviniani plerique. Sed sufficit huic sententiæ refellendæ, quod Princeps Regni Persarum hic manifeste distingvatur, à Rege Persarum: dicitur namque v. 13. Angelo prænoni Danielis manendum fuisse apud Regem Persarum, quia Princeps Persarum restitit ei. Deinde quis credat hominem, mortalem non adsvetum divinis hisce visionibus, laturum fuisse flammas, quas Angelus de se sparserat, cum ad conspectum summæ claritatis Daniel obstupefactus totus cohorruerit; aut si secreto impulsu

id factum quis dixerit, explicet nobis, quomodo Cambyses adeo oppugnavit hunc Angelum, ut Michaelis succenturiatâ ope indigeret. Proinde neque Cyrus, utpote decantatissimæ pietatis Monarcha; neque Cambyses, impar tanto Cœlorum Heroi adversarius; sed alius aliquis apud Cyrum se opposuit Angelo, qui cum aliquâ virium confinitate ausus fuit congredi cum Angelicâ potestate. Hinc *Secunda* eorum emergit sententia, qui Spiritum eumq; bonum fuisse tradunt, & quidem Præsidem istius Provinciæ, qui cum videret Judæos cum fructu hactenus inter Chaldæos & Persas vixisse, quorum plurimos ad veram religionem converterint; tum etiam, quod Judæi rebus adversis essent meliores quam secundis, ajunt, idcirco noluisse eos e ditione suâ abstrahi, contranitente Gabriele & Michaele Judæorum patronis, qui, si Judæi diutius mansissent in Persida, paulatim eos fuisse imbibituros mores Persarum, & relicto veri Dei cultu, ad Idola conversuros, contenderunt. Hanc Sententiam veterum nonnulli & Pontificii plerique fovent, hausta, [ut opinatur Pheiff. in Dub. Vex. in h. l.) è Scholis Judæorum, imò etiam ab ipsis ethnicis, de quorum Diis tutelaribus nos pauca in præcedentibus. Modum Confligendi Disputatorium ex Papistis commemorantem Vide Dorsch. Sept. Ang. p. 18. seq. Quæ sententia, quibuscunq; figmentis aut pigmentis coloretur, probari nequaquam potest;

est; cum nulla inter Angelos bonos possit esse discordia, nedum contentio aliqua vel pugna: perfecta enim charitas, quæ est in Angelis bonis, & summa voluntatis eorum ad voluntatem DEI conformatio, omnem diffidii rationem excludit. Adde, quod liberatio populi Judaici ex captivitate Babylonicâ DEO fuerit grata; quippe quam ipse definierat, & per Prophetas promiserat: quomodo ergo aliquis Angelorum bonorum illam impedire fuisset ausus. Proinde *tertiam*, quæ Orthodoxorum, eorumq; accuratissimorum, est sententia, sequemur. Hi per Principem hunc Persarum, Angeli adversarium, malum Angelum, seu Dæmonem aliqvem insignem prævalentem in aulâ Persicâ intelligunt. Sic Lutherus in Gloss. Marg. vocat eum ein Königl. Hoff-Teuffel. Confirmat hanc sententiam, quod mali Spiritus Principatus & potestates freqventer in Scr. Sacrâ dicantur: vel quia diversis gentibus infidelibus dominentur: vel quia in Inferiores Spiritus atque Dæmonia suos exerceant principatus. Sic Christus Joh. 12: 31. Diabolum vocat ἄρχοντα τȣ̃ κόσμȣ τȣ̃τȣ. & Paulus Eph. 6. 12. Dæmones appellat ἀρχὰς, ἐξȣσίας καὶ κοσμοκράτορας τȣ̃ σκότȣς. Hisce ergo mundi & tenebrarum Principibus Regni qvoq; Persici obtigisse provinciam non dubitandum. Novimus namque Satanam in Aulâ Davidis fuisse occupatissimum, ut numerato populo, gravis toti nationi accerseretur plaga. 1. Par. 21: 1. Item in Au-

la Achabi, ut mendaciloquio Prophetarum cruentum promoveretur bellum. 1. Reg 22: 22. Cum ergo & h. l. disertè proficeatur bonus DEI Angelus sibi voluntatis divinæ executori obstitisse hunc Principem per dies adeò multos, manifestò concluditur, bonum istum neqvaqvam fuisse, nam alias eam promovisset quocunque pacto potuisset. Modum, quo iste conflictus Angelorum contigerit, haud proclive est dicere, cum crassa ista armorum hostilium in sensus incurrentium conditio penitus exulet ab hac Angelicâ luctâ. Sufficit utrumque eorum occupatum fuisse in flectendis Persarum animis ad studia prorsus contraria. Vide tamen bene conflictum istum depingentem Franzium Orac. 23. Interp. Scr. Placet nunc ex Rupert. l. 9. de vict. Verb. quæ satis appositè ad hanc rem adfert, apponere: *Ubi fit ista pugna? In campo justitiæ, ipso spectatore & Judice DEo. Quomodo mali & boni pugnant inter se? Malus pugnat accusando, bonus defendendo. In quantum est magna & vera accusatio mali Angeli, in tantum est tarda & invalida boni defensio. Exempli causa. Angelus malus qui aderat regno Assyriorum, quo ductæ sunt in captivitatem decem tribus, validissime eas accusabat; quod nunquam recessissent a peccatis Jeroboam, quod cum Regibus suis pertinaciter & incorrigibiliter peccassent, & quia hæc accusatio gravissima erat, propterea inefficax fuit apud DEum defensio boni Angeli, qui curam gerebat illa-*

illarum tribuum. Quapropter nunquam illæ tribus à captivitate sunt liberatæ. Similiter malus Angelus, qui aderat Persis, & vocatur hoc loco Princeps Regni Persarum, vehementer obsistebat, ne tribus Juda captivitate liberaretur. Hoc autem faciebat quatuor modis. Primum instigando Judæos ad graviſſimâ scelera, quò liberatione ex captivitate apud DEum indigniores redderentur; tum dissuadendo Judæis reditum in Patriam, exaggeratis bonis, quæ in captivitate certò possidebant, & amplificatis malis, quæ in reditu perpessuri erant, contra vero minuendo bona quæ ex reditu in patriam sperare poterant, ad hoc alienando animum Cyri a Judæis, ut reversis in Judæam minime faveret, & eos, qui apud ipsum remanserant, nullo modo dimitteret, suadens id majorem in modum incolumitati, tranquillitati & diuturnitati imperii sui expedire. Præterea graviſſimam eorum DEO Judæorum accusationem afferebat, exponens eorum scelera, propter quæ secundum legem justitiæ divinæ nullo modo liberari deberent. Hæc illæ malus Angelus adversus tribum Juda.

§. III.

Ex hiſce liquido constat qvantâ curâ qvantoqve ardore S. Dei Angeli, Satanæ insultibus resistendo, Imperiorum atque regnorum salutem promoveant. Non tamen hic Beeano aliisqve Pontificiis assentimur, qui hinc unicuique Provinciæ, etiam infidelium, certum atque

qve peculiarem Angelum præpoſitum eſſe con-
cludunt; cum ſc. S. id nullibi affirmet, multo mi-
nus ex lumine naturæ pateat, imo diverſum non
tantum ex hoc loco, ſed & aliunde liqvet: Sic
Civitatem Dothan cingebant integri exercitus
Angelorum, 2. Reg. 6. Et uni homini plures eſſe
ordinatos Angelos antea probavimus. Qvidni
ergo integris Regnis & provinciis plures adſi-
gnabuntur? Qvod vero hic de Michaële ſupremi
ordinis infimæ Hierarchiæ Archangelo (Cui
tot baſilicas extructas legimus] ex lib. de cœleſt.
Hier. qui Dionyſio Areopagitæ tribuitur, ha-
bent Pontificii, dudum eſt, quod noluit appro-
bare pia modeſtia. Preterea Michaelem h. l.
non pro creato, ſed increato Angelo accipi,
non cortemnendæ ſunt rationes, quas videſis
apud Gejerum in h. l. Imo dubium eſt, an ullibi
in totâ Scr. S. Michael ſumatur pro Angelo
creato, In quam rem inquirere noſtri non eſt
inſtituti. Confer hac de re Jac. Mart. part. poſt.
Diſp. Schol. th. 5. p. 404. item D. Gerh. in
Diſp. Iſag. l. de Ang. c. 1. §. 13. Nos ex hiſce hoc
tantum colligimus, Deum pro-benigniſſimâ ſi-
mulque juſtiſſimâ ſuâ voluntate Spiritibus in-
viſibilibus circa conſervationem & everſionem
Rerumpublicarum magnam concedere pote-
ſtatem. Divinitas qvædam profecto eſt imperii
dignitas. Iſtud ſane eſt vinculum, per quod ho-
minum ſocietas cohæret, ille Spiritus vitalis,
qvem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa futura
niſi

niſi onus & præda, ſi mens illa imperii ſubtrahatur. Proinde quanto ſublimiorem Imperii Majeſtatem novit eſſe, tanto majori impetu in id graſſatur immaniſſimus divini Ordinis turbator. Nec humiles tantum caſas aut abjectas domos peragrat, ſed ipſis Principum atque magnatum aulis ſe ingerit: mala ubique & arcana ſuggerens conſilia: ſupprimens, ubi poteſt, bona & moderata: & quò plus novit damni & exitii redundare in rempublicam ab iis, qui & potentiâ & auctoritate valent, eò acriores adhibet ſtimulos, vehementioresque admovet arietes: velut impetuoſi nimbi, qui Cedros, quò altiores ſunt, eo majori impetu quatiunt, qvoniam earum caſu non poſſunt non humiles quoqve lædi arbores. Hinc ſcitè Gregor. l. 1. moral. c. 1. *Omnis qui diſpenſandis rebus terrenis præſidet, occulti hoſtis jaculis latius patet.* Novit enim vaferrimus veterator, quò gradus & dignitas altior, eò lapſus & majores & graviores eſſe. Gravis eſt D. Lutheri in hanc rem ſententia: *Imperium quodvis Principem ſuum ex inferis habet, quo imperium majus, eo major & pejor Diabolus, qui Reges, Principesque miris modis exagitant, nunc impediunt, nunc provocant ad iram, bella latrocinia, feſtum, libidines, & vitia alia, ut neceſſarium omnino ſit, Deum etiam bonos Angelos ex cœlo & Principes in cuſtodiam Regum & Principum contra poteſtates Inferas emittere.*

§. IV. Quan-

§. IV.

Qvanquam qvodvis Imperium ex abdito divinæ sapientiæ consilio fatales habeat periodos, qvas determinare inter reservata supremæ Majestatis est; tamen acerrimus divini Ordinis hostis Diabolus, non intermittit in perniciem interitumq; regnorum, causas accelerare. Primum in Imperio debet esse Religionis atqve sincera rerum divinarum cura: hanc occultis artibus animis Imperantium eximere omni conamine satagit Dæmon, locoque ejus impietatem plantare, qvæ ubi radices egit, sola, licet reliqvæ non accedant causæ (qvæ tamen ab illa abesse non possunt) satis habet virium ad rempublicam evertendam. Hæc enim ad justam vindictam extimulat Deum, cujus si exardescat ira, nullæ tantæ sunt vires, tantæ opes, tantæ copiæ, quæ ab hoc non absumantur incendio & in cineres redigantur. Si autem veræ religionis amore magistratus simul & subditi, quæ sui muneris sunt, procurant, si Dei patrocinio & Angelorum bonorum tutelâ Respublica nititur, nulla tanta vis est, aut violentia, nullus conatus aut impetus qvorumlibet hostium tantus est, qvem ejusmodi respublica excipere non possit & frangere. Vidit etiam suo seculo curam Religionis ad rationem status pertinere Machiavellus, cum l. 1. disp. p. 60. *Si*, inqvit, *diligens cura Religionis, par Romanorum in gentilitate solicitudini, â Riepublicæ Christianæ Principibus observata fuisset,*

fuiſſet, longe majori felicitate & pace in orbe Chriſtiano fueremur. Summi vero Numinis reverentiâ atqve cultu ex animis Imperantium atqve ſubditorum ejectis, ad qvævis vitia facilis fit lapſus: hinc Luxus & libidines profluunt, quæ ita temperat impuriſſimus ſpiritus, ut ſingulare ornamentum aulicum habeantur. Ubi per luxuriam Regni opes ſunt exhauſtæ, ad latrocinia, & innocentum expilationem apertum monſtrat campum, & horribilem bellorum fragorem in ſuaviſſimum melos transformat. Unde non poteſt non Regnorum concuſſio, & tandem, niſi maturè per convenientia media obviam eatur, totalis everſio ſeqvi. Has, occaſione Loc. Dan. vaferrimi Imperiorum hoſtis fraudes & pernicioſos effectus detexiſſe nobis ſufficiat. Cauſas alias tam Generales qvam ſpeciales mutationum atq; everſionum Rerumpublicarum vide recenſentes Politicos, in his Wolfg. Heiderum integris orationibus duodecim. Bœcl. Diſſert. Polit. 19. Nos viciſſim hic apponimus graviſſimum Lutheri judicium dicentis: *Hinc apparet cur tanta ſit in aulis Regum & Principum feritas & barbaries, cur tanta vehementia ſalus publica reprimatur; bella vero & infortunia tanta copia exardeſcant: Diaboli namque ibi confluunt incitant & inſtigant, aut tot tantaque impedimenta injiciunt, ut nusquam ſeſe expedire vel prudentiſſimi poſſint. Exempli gratia: Cum liberandi eſſent, ex captivita-*

Ba-

Babylonica Judæi per Reges Persicos, nullibi ex voto res succedebat, quanquam non alieni essent Reges, ut Angelus hic dicat, laborandum sibi vehementer esse, & bellandum contra Persarum seductorem Principem, & tamen periculum esse, si eò profitiscatur, ne interim nova Diabolorum acies ex Græciâ confluat. Adeò semper una pugnâ depugnatâ, imminere novam, idque ex Diabolorum irrequietâ perversitate. Sed quâ ferociâ in Regno Persico grassatus est Satan, quis dubitet eundem in aliis quoque regnis convellendis non pari uti audaciâ. Id sanè conclamatis hisce temporibus tristissima rerum facies in orbe Christiano abunde monstrat. Itum est a Sacro Sancta Conjunctionis necessitudine; divini humanique juris vincula turpissimè sunt rupta; Fraudibus sine pudore res agitur. Quis negaverit hæc â fraudum & omnium turbarum fatore atq; sutore Diabolo oriri? Triplici ære circumvallatum pectus habere necesse est, qui publicis hisce malis non ingemiscat. Et qui Satanæ technas strenuè amoliri non satagat, pietatis & virtutis amorem exuisse censendus est. Tum vero optimè ejus machinationibus resistitur, cum quisq; Pietate in DEUM, fide & obsequio in REGEM, amore in PATRIAM, suum faciendo officium, Angelorum consortio sese dignum præstat.

Nos de cætero

Ah-

ANgelum magni Consilii supplices veneramur, quò *REGEM NOSTRUM CLEMENTISSIMUM* CAROLUM XII. qui nuper ex incomparabili vereq; Regiâ magnanimitate, ad hostium injustissimorum vim reprimendam, in fines Regni feliciter se appulit, Angelorum suorum præsidiis undiquaq; stipatum tueatur, artus ipsius atq; lacertos perenni invictâq; virtute corroboret, exercitum pariter, armaque ejus justissima victricia reddat, hostium fraudes atq; insidias in sua ipsorum capita retundat. Coërce Benignissime DEUS Zebaoth Satanæ furores, Pacis & tranquillitatis publicæ osores ad Pacis consilia reflecte, quò Patria nostra carissima, flagranti bello nunc afflicta, eodem feliciter defungatur, dulcissimaq; restituta Paci, sub tutelâ Clementiæ CAROLINÆ refoveatur, æternumq; Vigeat!

כל הנשמה תהלל יה הללו־יה׃

Clarissime Domine Candidate.

Præceptor optime,

GAudeo, mihi occasionem, quam sæpe quæsivi, nunc sponte oblatam esse, quâ tibi gratuler; id nisi facerem, ingrati animi notam vix effugerem: fidelis namque tua informatio tanti meritò à me fit, ut obstrictissimum me agnoscam ad quævis fausta Tibi apprecandum, quod quidem prolixioribus nunc non licet facere verbis, cum id pagellæ vetet angustia, & teneriores adhuc ingenii vires id non valeant ritè exsequi. Proinde hæc Votorum esto summa: Ut honorum, quos merito tuo propediem auspicatò adis, jucundum quantocius reportes præmium; Unde gloria Nominis divini, Ecclesiæ Dei emolumentum, Tui, Tuorumque gaudium resultet, sic vovet

Tui addictissimus

JOH. GEZELIUS,

J. F. J. Nep.

Herr Præceptor,

SAg hörde för en tijd/ det J Præceptor wille
Ett Proof om Engla-wärn/ at låta gå i tryck/
Dy gaf min skyldigheet i Hiertat mig en knyck/
Hur' iag med godt maneer/ Ehr dygd och wackra snille
Kund prijsa: men min Fiä'r kan ey så nätt det rijta
Som sig wäl borde: dy geer Ehr der om bewijs
Fast bätt're Ehrt Engla-Wärck; at J förtient haa
Prijs /
Det Losord Momus sielf skall från Ehr aldrig sijta/

Detta betygar

ERIC GYLLENBRING.